

Item infirma ratio est, quae vel alii expositioni potest accommodari, ut facit Pacuvius, qui eandem affert rationem, quare caeca, eandem, quare bruta Fortuna dicatur.

Cap. XXV. In confirmatione rationis, multa et vitanda in nostra, et observanda in adversariorum ratione sunt vitia; proptereaque diligentius consideranda, quod accurata confirmatio rationis totam vehementissime comprobat argumentationem. Utuntur igitur studiosi in confirmanda ratione duplii conclusione, hoc modo:

Injuria abs te afficio indigna, pater.

Nam, si Cresphontem existimabas improbum,

Cur me huic locabas nuptiis? sin est probus,

Cur talem invitam invitum cogis linquere?

Quae hoc modo concludentur, aut ex contrario convertentur, aut ex simplici parte reprehendentur. Ex contrario hoc modo:

Nulla te indigna, nata, afficio injuria,

Si probus est, te locavi: sin autem improbus,

Divortio te liberabo incommodis.

Ex simplici parte reprehendentur, si ex duplii conclusione alterutra pars diluetur, hoc modo:

Nam si Cresphontem existimabas improbum,

Cur me huic locabas nuptiis?—Duxi probum.

Erravi: post cognovi, et fugio cognitum.

Ergo reprehensio hujus conclusionis duplex est: acutior illa superior, facilior haec posterior ad excogitandum.

Item vitiosa est confirmatio rationis, quum ea re, quae plura significat, abutimur pro certo unius rei signo, hoc modo: *Necesse est, quoniam pallet, aegrotasse*: aut, *Necesse est peperisse, quoniam sustinet puerum infantem*. Nam haec sua sponte certa signa non habent, si non cetera quoque similia concurrant. Quod si concurrerint, non nihil illius modi signa adaugent suspicionem. Item vitiosum est, quum vel in